

200, 0 1.


II f  
465

ANALYSIS  
FORMÆ & MATERIÆ  
SYLLOGISTICA,

Annunte divina gratiâ  
In Illustri Academia Wittebergensi,  
Præside,

Clarissimo ac Pereximio Viro,  
DN. M. JOH. CHRISTOPHORO SELDIO,  
Franc. Facult. Phil. Adjuncto dignissimo,  
publici Exercitii loco proposita

â  
JOHANNÉ DIEDERICO,  
Lauterbergâ-Cherusco,  
loco horisq; consuetis,  
Ad diem 15. Febr.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XLIII.





FORNIE & MAYER

DR. M. JOH. CHRISTOPH. SEIBER

JOHANNES SEIBER

ANNO MDCCLXXII





# CUM DEO!



**N**ecessarii usus negligentiam inter præcipuas difficultatis Logicæ, & ex ea natæ ignorantia, causas recensendam esse, rectè judicat *Petrus Fonseca lib. 2. Comm. in Metaph. Arist. c. 3. quest. 4. sect. 3.* cujus verba, cum profecta sint à Jesuitarum complice, qui alias plus justo inutilibus nugis immorantur & immoriuntur, integra hîc apponemus: *Tertium est, inquit, (videlicet, quod Dialecticam obscuriorem facit, quam ipsa revera est,) quod à plerisque nimia exercitatio Dialectica in ipsa materia Dialectica ponitur: quo morbo superiores Dialectici magis laborarunt. Hinc enim tam multa tamque spinosa nascuntur Sophismata, ut ingenia potius lacerent, quam doctrinæ fructu robustiora reddant. Huic malo sic occurrendum videtur, ut usque eò exerceantur adolentes in materia propria Dialectica, dum planè intelligantur res, de quibus agitur, & præcepta ea, quæ usui in aliis artibus futura sint. Reliqua enim diligentia inutilis potius curiositas, quam Dialectica exercitatio credenda est. Itaque brevi expedienda sunt præcepta, & relinquenda materia Dialectica, ut præcipua ejus exercitatio in materia aliarum scientiarum, hoc est, in rebus solidioribus ponatur. Quod veteres faciebant, apud quos tota ferè Dialectica exercitatio consumebatur in disputatione de virtutibus, de vitiis, de rebus naturalibus: de iis denique, quæ magis extant, atque eminent: non de notionibus notionum, nec de contortis sophismatis, in quibus rebus nullam utilitatem affert longior exercitatio, sed magnum potius detrimentum, & pretiosi temporis jacturam. Itaque qui totam exercitationem Dialecticam in sola materia Dialectica ponunt, & diutius quam par est, in ea versantur, persimiles videntur esse iis, qui in libra & lancibus probè examinandis totam libræ utilitatem sitam esse crederent: neque unquam lancibus quicquam ponderarent. Itemque iis, qui totum id temporis, quod ad scribendum datur, in aptando calamo consumunt. Nam, ut hi, nullam formam incisionis contenti, usque eò calamum sæpè incidunt, dum, quâ parte scribant, vix ullam relinquunt: sic illi, cum novis in dies intra hujus artis fines commentis investigandis dant operam, aliquid semper latere arbitrati, quod longiori studio: &*



majori industria erui possit: tum demum ad alias artes comparandas se convertunt, cum eis tempus ad id agendum opportunum deest. Hæc ille: Satis luculenter, ut apparet, innuens, studium Logicum, inter duo veluti extrema positum, virtutis instar, in mediocritate consistere. Ut enim *Rami*, & eorum, qui tam infelicem hinc Præceptorem sequuntur, Logica suis vix ossibus hærens, defectus logici præbet indicium: Ita æternarum argumentationum Architecti, *Scholastici*, vastis suis Commentariis ac voluminibus mirum quantum peccant in excessu. Nec enim illis sufficit, varios *questionum Metaphysicarum* aggeres Logicæ studiosis obtrudisse, sed & in fingendis logicalibus logicalium notionum notionibus fastuosè luxuriant. Testes sunt illorum *Summula* & spissa in eisdem *Commentariâ*, non nisi illis, si voluerint, evolvenda, qui sedulâ in philosophicis industriâ hoc assecuti sunt, ut sciant à cruda ista informique arena exprimere aurum, & nitere illo ipso ornamento, quod in istis, velut multo pulvere obrutum, plerumque lucem amisit. Nobis in præsentem visum est, *usus Logici* experimentum facere in *Analyse peripatetica*, ut principem Instrumenti hujus utilissimi Doctorem secuti, brevibus tantum *positionibus*, earumque *expositionibus* explicemus, quantum omninò commoditatis tam circa formam, quam circa materiam verè disputaturis eâ afferat.

#### SECTIO PRIMA.

### De *Analyse* tum in genere, tum in specie de *Analyse formæ*.

#### POSITIO I.

*Analysis Logica est Analysis, consistens in revocatione argumentationis ad sua principia, veritatis investiganda gratia.*

*Expositio:*

I. Definitum est *Analysis*, non tamen generatim accepta, ut est progressus ab eo, quod posterius est, ad id, quod prius est, prioritate, si non temporis, saltem naturæ & causalitatis; si non cognitionis, saltem rei: neque ista, quæ instituitur, cum totum in partes quasi reteximus & dissolvimus, vel à fine ad media, ab effectis ad causas procedimus: sed in specie *Analysis Logica* & *Syllogistica*



*stica*. Unde Aristoteles duos libros, quos *Syllogismo formaliter spectato*; & totidem alios, quos *Demonstrativo consecrat*, dignatur titulo *ἀναλυτικῶν* sive *resolutoriorum*, quia videlicet doctrina syllogistica præcipue ostendit, ex quibus principiis ac fontibus omnis cognitio eliciatur & oriatur. Et cum in omni doctrina duplex resolutio obveniat, altera *consequentia*, altera *consequentis*, (de quibus mox fusius) placuit Interpretibus Philosophi, illos *priorum*, hos *posteriorum* Analyticorum titulo exornare.

2. *Differentia*, in definitione latitudinem generis restringens, sumitur tum *ab objecto*, tum *à fine*. *Objecti* loco ponitur *argumentatio*, ut est resolvenda in principia sua, tam *materialia*, eaq; vel *proxima*, hoc est, in propositiones; vel *remota* h. e. in terminos, (etenim quod primum est in *γενέσει* & ordine naturæ generantis, illud ultimū fit in *Analyti* & ordine naturæ intendentis) quàm *formalia*, quorum vices figuræ ac modi suppleant. *Finis* Analyseos est, non ut Analytici mens acquiescat in principiorum & partium inventionem, sed ut tum de argumentandi & inferendi ratione, tum de principiorum indole atq; ipsis, unde res deducitur, fundamentis, accuratius dispiciat. Quæ omnia in definitione cõplectimur nomine *veritatis investiganda*, non tantum *veritatem connexionis*, quæ ex Logica; sed etiam *sententiarum*, quæ ex realibus disciplinis & principalibus habitibus accersenda est, intelligentes. Conf. *Corn. Mart. lib. 1. c. 3. de Analyti*.

## POSITIO II.

*Analysis formæ seu consequentiæ est revocatio questionis propositæ ad tales præmissas, ex quibus necessaria illatio conclusionis oritur*, B. Höpff. *Comm. in 1. Analyt. p. 8.*

### Expositio.

1. Præsupponimus hîc divisionem *Analyseos*, modò notatam, in duas species: alteram scilicet *formæ seu consequentiæ*; alteram *materiæ seu consequentis*; quæ specierum diversitas in diversitate principiorum est fundata. Sicut enim *principia*, in quæ omnis argumentatio resolvitur, *duplicia* sunt; *alia formalia*, qualia sunt propositiones & termini, debitâ quantitate & qualitate affecti, & secundum certæ figuræ ac modi præscriptum dispositi: *alia materialia*, sive propositiones ad certam materiam, καὶ ἐξ ὧν



verò ad necessariam limitatæ: Ita duplex est Analysis. Notanter autem dicitur: καὶ ἐξ ὧν ad necessariam limitatæ: quoniam argumentatio necessariis propositionibus constans, ex mediis terminatis & certis procedit: Topica autem procedit ἐξ ἄλλων ὁρισμένων, 1. post. c. 8. cum variæ se offerant propositiones, e quibus singulis inferri conclusiones posse videntur. Quæ causa est, quod Aristoteles libros Topicæ dignari titulo librorum Analyticorum noluerit. Licet enim argumentationis topicæ sua sint principia; illa tamen non tam certa sunt, ac determinata, atque demonstrationis. Interim, sicut Dialecticæ Genesios: Ita quoq; Analyseos ratio omninò est habenda.

2. Nostra positio speciatim explanat Analyseos formalis essentialiam, qua ipsa consequentia non tantum in sua principia resolvitur; sed & argumentandi forma, ad terminos rectè dispositos, & propositiones justâ quantitate & qualitate affectas, revocatur. Hoc ipsum, quòd in primis per dispositionem in legitima figura fiat, Philosopho nostro, 2. Poster. c. 3. hanc Analysisin à potiori denominandi περί τὴν ἀνάλογον occasionem dedit. Torus quippe apparatus Syllogisticus in eo absolvitur, ut demum constet, quænam præmissæ conclusioni inferendæ magis vel minus accommodatæ sint, aut qua ratione tales propositiones ad inferendam conclusionem disponantur.

### POSITIO III.

*Primum igitur instituenda est Formæ Analysis in distincta quorumcunq; syllogismorum principia formalia.*

*Expositio.*

1. Notandum hîc in antecessum, melioris doctrinæ gratiâ bimembrem etiam Syllogismorum constitui posse formalem Analysisin 1. ut dictum est, in principia formalia, figuram & modum, tam circa Categoricas, absolutas & simplices, quàm compositas, modales, & exponibiles argumentationes: 2. In principia materialia, de quibus sequens ager positio. Et ibi circa prius quidem argumentationum genus consideranda in primis venit Analytico. 1. figura, cujus nimirum virtute argumentatio aliqua rectè concludat. Nec enim raros invenire syllogismos licet, qui, cum procedant ex puris affirmativis, in quibus medius terminus bis loco prædicati

cati



cati in utraq; præmissarum ponitur, dicto de Omni tamen verè  
conformes & materialiter boni deprehenduntur. Exemplo sit  
iste: *O. accidens inheret: Quantitas inheret.* E. Ubi non  
fatis cautè responderi solet, ejusmodi argumentationes pec-  
care contra dictum de Omni cum tamen eidem sint congruæ,  
id quod liquidò apparet, (1.) *Ex legitima argumentationis de-  
finitione.* Illa enim argumentatio, cui non potest dari similis,  
in qua servatâ eadem terminorum habitudine ex antecedente  
vero elici nequit falsum consequens, est legitima & bona. Atqui  
hæc modò adducta (idem esto de alijs huic similibus judicium)  
est talis. E. *Min.* probatur, quia quoties propositio est convertibi-  
lis, in qua de subjecto vel definitio, vel differentia specifica, vel  
proprium enunciatur specificum, toties ex antecedente verò sub  
hac forma inferre licet verum consequens. E. g. *Quantitas est di-  
visibilis. Linea est divisibilis.* E. *Item: Virtus servat mediocritatem. Ve-  
racitas servat mediocritatem.* E. (2.) *Ex actuali principii directivi appli-  
catione & reductione.* Quandoquidem ejusmodi argumētationes,  
non secus ac syllogismi primæ figuræ, per dictum de Omni & Nullo  
diriguntur, intercedente solùm hoc discrimine, quod propositio  
*conversa loco convertentis* ponitur: E. g. *Quicquid inheret est acci-  
dens: Quicquid servat mediocritatem est virtus.* Ratio autem, cur *Au-  
tores* illis (conversis) potius, quam his (convertentibus) utantur,  
est evidens; quoniam istæ, in quibus vel *differentia*, vel *proprium*  
prædicatur de specie, magis sunt *ordinariæ*. Contra hæ, in quibus  
ista subjecti locum occupant, *ad naturam inordinatarum* magis ac-  
cedunt. Idem feras judicium de istis *secundæ figuræ* argumētatio-  
nibus, in quibus *ex puris etiam particularibus* formaliter infertur  
conclusio. E. g. *Quædam substantia est hic homo. Quoddam album est  
hic homo.* E. Quæ consequentia *formalis* est, quia ejusmodi syllo-  
gismus per legitimam singularis Enunciationis formam conclu-  
dit, æquipollens huic: *Hic homo est substantia. Hic homo est albus.* E.  
*Quoddam album est substantia.* 2. Considerandus venit *Modus*,  
cum sæpiusculè videantur argumentationes quædam esse in cer-  
ta figura, non autem in certo modo, quemadmodum id Syllogi-  
smi *negativi*, constantes medio infinito ostendunt. Hos enim in aliquâ  
*figura*, pro ratione medii termini cum extremis complicati, col-  
locandos



locandos esse nemo facile dubitaverit: An verò in certo Modo  
sint, à multis vocatur in controversiam. Sunt enim (1.) qui sibi  
persuadent, *Minorem, quia prædicatum formaliter removetur à  
subjecto, formaliter esse negativam*, adeoque, stante hâc hypothese,  
ejusmodi argumentationes, in primâ figurâ conceptas, in nullo  
esse modo coguntur asserere. Nec tamen eas peccare conce-  
dunt contra Regulam Syllogisticam: *In prima figura Minor semper  
sit affirmativa*. Nam hujusmodi Canones ab Aristotele eum in fi-  
nem præscriptos existimant, ut normæ sint, non quorumvis syllo-  
gismorum, sed eorum tantum, qui terminis finitis constant. Hæc  
sententia placet Scoto 1. prior: quest. 37. Nec displicere videtur  
D.D Hornejo, lib. 4. Instit. Logic. quest. 9. Sunt (2.) qui putant, *Minorem,  
cum Major sit Infinita ex parte subjecti, non posse non itidem af-  
firmativam esse infinitam ex parte prædicati*, ad quaternionem ter-  
minorum evitandum. Hanc opinionem dudum propugnarunt  
Crellius, Cornelius, Arniseus, quam uti sequuntur multi ex Præce-  
ptoribus nostris, ita firmis omninò rationibus nititur. Nam 1. se-  
queretur multiplicatio terminorū, nisi concederetur, terminum  
medium & in Majore & in Minore infinitum permanere. 2. Si  
ejusmodi Minor esset negans, non posset non sequi negans  
Conclusio: *Quia Conclusio partem debiliorem, non minus ratione  
formæ, quam ratione materiæ imitatur*. Atqui ex tali minore Con-  
clusio negans non existit sed affirmans: e. g. *Qui non est virtuosus,  
est vitiosus*. Atqui *aliquis homo non est virtuosus*. E. Sed quid in  
hoc bivio constitutus Analyticus? Tutissimam viam eliget, si  
minorem, quæ virtualiter infinita est, in formaliter talem resol-  
verit: e. g. *Quidam est non virtuosus*: Quæ Analysis controver-  
siam dirimit, & supra adductum syllogismum in tertio pri-  
mæ figuræ modo esse ostendit. Et quamvis monitum hoc de  
argumentationibus ad figuram & modum reducendis, quoad  
theoriam cuiusvis obvium sit, in praxi tamen sæpius nimis est in-  
vium, præsertim in dijudicandis Recentiorum placitis, cum non  
pauci legitimum figurarum & modorum usum ejurasse vide-  
antur. Hujus criminis Johannes Sanchez reum agit. Francis-  
cum Suarez Tom. 2. Comm. Log. quest. 58. in præambul. jurene, an in-  
juria, hâc vice nō operosè inquirimus. Obsecro, inquit, Sanchez  
lecto.



lectorem, ut ipsum legat ( Suarez ) & prospiciat, quomodo nihil dicat  
( disp. 42. sect 7. num. 15. ) tantâ varietate verborum. Et velim, ut dicat  
mibi quorsum Aristoteles in Syllogismis tot arguendi modos posuerit,  
totq; docuerit figuras, si nunquam illis utatur. Sed hanc Dominicani  
Monachi accusationem ex nimio erga Thomæ placita amore, quæ  
Suarez non semper adorare solet, profectam esse, quivis anim-  
advertit.

3. Circa has verò, *compositas* puta, *modales*, & *exponibiles*,  
dispicendum Analytico præcipuè de earum ad *Categoricas*, *ab-*  
*solutas* & *simplices* reductione. Hanc enim potissimum hic re-  
spicimus, non adeò de reductione syllogismorum in Modis  
primæ figuræ *indirectis* ad *directos*, vel ex tertia & secunda figu-  
ris ad primam solliciti. Cumque reductio *Syllogismorum Moda-*  
*daliū* & *Exponibiliū* satis luculenter ex iis, quæ inferius circa  
ipsarum enunciationum indolem dijudicanda afferemus, inno-  
tescere possit, pluribus in præsentia de ea dicendis studiò su-  
perfedemus. Sicut autem res expedita est circa reductio-  
nem *Compositorum* & *Conditionalium* syllogismorum, non nisi  
tribus terminis constantium, modò attendatur conclusio &  
medii dispositio: Ita impedita satis & intricata apparet ibi, ubi  
quatuor termini conspiciuntur, ut in isto: *Si virtus est sequenda,*  
*vitium est fugiendum. Sed virtus est sequenda. E. vitium est fugi-*  
*endum: vel disjunctivè: Aut virtus est sequenda, aut vitium fugien-*  
*dum. Sed virtus est sequenda. E.* In diversa hic abeunt reducto-  
res. Sunt enim 1. qui talem reductionem instituunt: *Quic-*  
*quid non est virtus sequenda, id est vitium fugiendum. Sed vitium*  
*non est virtus sequenda. E. vitium est fugiendum.* Verùm alii elu-  
dunt hanc responsionem per instantiam: *Amici non sunt virtu-*  
*tes sequenda. E.* Sunt 2. qui, repudiatâ priori reductionis for-  
mâ, aliam, sed æquè incommodam, adhibent, dum ad talem for-  
mam revocant: *Cujus oppositum virtus est sequenda, idem fugien-*  
*dum. Vitii oppositum virtus est sequenda. E. vitium est fugiendum.*  
At hic Syllogismus vel Crypticus est, vel formaliter legitimus  
non est ob multiplicationem terminorum. Quinque enim  
penitus introspicienti occurrunt. 1. *cujus oppositum est virtus*  
*sequenda. 2. fugiendum. 3. vitii oppositum virtus. 4. sequenda. 5. vi-*

B

tium;



tium: ut mirari subeat, quod Logici alioquin perspicaces tam evidens vitium non animadverterint. Superest igitur ut dicamus, ejusmodi Syllogismos, quoniam tot terminis constant, vel in unum Categoricalum resolvi non posse, vel ad duos revocandos esse, quorum alter principalem conclusionem infert: *Quicquid non est virtus, illud est fugiendum. Vitium non est virtus. E. vitium est fugiendum.* Alter loco conclusionis Minorem ponat: *Quicquid non est vitium: illud est sequendum: Virtus non est vitium. E.*

4. Præter hæcenus indigitata quidam recentiores ex *Scoto 1. prior: quest. 7. concl. 4.* monent, advertendum esse, ut dictum de omni legitime concipiatur & applicetur, id est, juxta illud propositiones formandas esse non hoc modo: *O. homo est animal;* sed potius: *O. quod est homo est animal.* Equidem, inquit, si isto modo effertur, ut valeat consequentia in omnibus rebus creatis, non tamen in divinis, quia, pergunt, vera est universalis: *O. Essentia divina est pater:* nec tamen vera est hæc: *O. quod essentia divina est, est pater,* cum etiam Filius & Spiritus S. sint essentia illa eadem. Verum salvo horum judicio, ad hoc & similia exempla reponimus id quod *Gregor: de Valent: Tom. 1. disp. 3.* respondit pro vindicatione effati philosophici: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Nimirum sicut universalitas istorum principiorum elicitæ est tantum ex indole rerum creatarum, & ex lumine nature cognoscibilium: sic non nisi ad illa posse accommodari.

#### POSITIO IV.

*Post accedendum ad Formalem itidem Analysin, in singula syllogismorum principia Materialia.*

##### *Expositio.*

1. Alterum hoc quasi-membrum præteritâ positione inuimus, ut post institutam in principia formalia resolutionem, materialia quoque inspectet Analyticus; qualia sunt & immediata, videlicet Propositiones: Et mediata sive ultima, nimirum termini. Priora quod attinet, inquirendum ei est. 1. in propositionum quidditatem, quænam illæ sint; simplicesne, an compositæ,



posita, vel exponibiles? si deprehenderit *simplices*, num *purae* sint, an *modales*? Frustra enim sollicitus est in dijudicandis propositionum affectionibus, cui prius de earundem specie non constat. Idcirco, ut via hinc per multas rixarum salebras sit expeditior, ducem sequatur observationem illam, quam pridem inculcarunt viri omni exceptione majores, *tutissimum existimantes in omnibus, quae expositione egent, enunciationibus, ut in suas simplices, in quas aliqua ratione resolvi possunt, revocentur, omnique ex parte ita examinentur, ne sibi injuriam fieri conqueri possit, quicum aliqua intercedit disceptatio.* Et conspicua quidem fieri potest moniti hujus utilitas, si ad praxin theoriam transtulerimus, e. g. in Controversia, quae de contradictione movetur: An scilicet huic: *solus homo est lapis*: rectè contradicat haec: *Non solus homo est lapis*. Sunt qui *negativam* tuentur, ideò quod à veritate exponibilis ad veritatem exponentis non valeat Consequentia. Ex verà enim exponibili falsa exponens disjunctiva colligitur: ut: *Aut nullus homo est lapis, aut aliquid quod homo non est, lapis est*: Quia ad disjunctivæ enunciatationis veritatem requiritur non ut *utraq;* pars vera esse possit (sicuti in hoc exemplo contingit) sed *altera* tantum. Contra autem *Fonseca & Summulista* dictâ expositione sine discrimine utuntur, nec morantur rationem à dissentientibus objectam, quia negant hypothesis, *ad veritatem disjunctivæ requiri ut unum membrum saltem verum sit.* A quibus dissentit *Mendoza in summ. disp. 4. sect. 13.* Et hunc secuti quidam ex Recentioribus: *sit, inquit, propositio haeretica: tantum reprobos esse natos in peccatis: Error iste non tollitur per hanc: Non tantum reprobi nati sunt in peccatis: quàm diu exponitur per disjunctivam: Nulli reprobi nati sunt in peccatis, vel alii etiam nati sunt in peccatis.* Intricatam hanc quæstionem tollit *Analyticus*, quando enunciations exponibiles resolvit in exponentes: *Quicquid non est homo, non est lapis: Quicumque non sunt reprobi, non sunt nati in peccatis: Quibus deinde sine ulla contradictione contradictoriè opponuntur particulares affirmativæ: Aliquid quod non est homo est lapis: aliquis qui non est reprobus est natus in peccatis.*

2. Inquirendum 2. in propositionum Categoricalium affectiones;



nes; seorsim (i.) in oppositionem, præsertim contradictoriam: Num conclusio directè contradicat thesi, necne? ubi necessaria cognitu est brevis Quæstionis istius decisio: Num iudicium contradictionis petendum ex Logica sit, an potius ex disciplina reali? Quàm non possumus non hîc tribus, quod ajunt, verbis repetere. Distinguendum scil. est inter contradictionem formalem, quæ est pugna propositionum universalium, secundum affirmationem ac negationem, & juxta hanc pronunciat Logicus alteram necessariò falsam, alteram veram, non determinâdo, quænam veritatis, quænam falsitatis nomen mereatur: Et inter materiales, juxta quam fertur iudicium de veritate sententiarum, quænam ex formaliter contradicentibus vera sit, quænam falsa. E. g. an vera sit Enunciatio affirmativa: omne corpus est in pluribus locis: vel particularis negativa: non omne corpus est in pluribus locis. Hoc sanè iudicium non ex Logica, sed ex reali disciplina petendum. Vide hæc altioris indaginis apud Incomparabilem Philosophum ac Theologum, D. D. Martini, Præceptorem ac Hospitem Patris loco æstimandum, lib. 2. Pæd. c. 4. p. 226. & seqq. Item in Colleg. Anti-Calv. p. 79. & 73. An verò una contradictoriarum semper sit determinatè vera, altera determinatè falsa, de futuro non minus atq; de præsentis & præteriti, magno altercantium studio controversitur. Arist. lib. de Interpret. c. 3. negat, statuens utramq; confusè tantum aut veram aut falsam esse; & allegat pro sese ex opposita sententia sequentem absurditatem: quod alias omnis rerum tollatur Contingentia. Ab Aristotele discedunt omnes ferè Interpp. apud Conimbr. in l. c. c. 8. quæst. unic. art. 4. tum, quia una pars contradictionis actu concordat cum re; altera ab eadem discordat: tum, quia non esset vera contradictio, si utraque confusè saltem & indeterminatè affirmaret ac negaret: Tum, quia posito alteram de futuro contingenti determinatè veram, alteram falsam, res tamen non dicitur fieri necessariò, necessitate consequentis & absoluta, sed saltem consequentiæ & hypotheticæ: posito nimirum talem propositionem veram esse, quæ rem futuram dicit. Ab hac communi sententia recedit Carolus Franc. de Raconis part. 2. Log. de Enunciatione, ubi distinguit & asserit, aliud esse, alteram determinatè veram esse, alteram falsam; aliud determinatum esse, alteram

veram



veram, alteram falsam esse. Nos, seposita modò veritatis in  
 hac Interpp. rixa plena determinatione, feliciter superaturum  
 putamus *Analyticum* has difficultates, si *propositiones de præteri-  
 to & futuro revocaverit ad tempus præsens, cum nulla oppositio vera sit  
 de præterito & futuro, quin aliquando vera fuerit, aut futura sit in præ-  
 senti.* (2) in reliquas affectiones inquirendum; vid. in æquipollentiam,  
 consequentiam unius ex altero sine medio, subalternatæ ex  
 subalternante, exponentis ex enunciatione exponibili; omni-  
 um maximè in Conversione ubi duo cum primis dubitationum  
 compedes Analytici nostri cursum remorari posse videntur:  
 1. *An conversio sit adequata enunciationis affectio? Affirmativa est  
 communis: pro Negativa faciunt exempla à Tataretò in Comm. 1.  
 prior. c. 2. allata. Expers enim conversionis est enunciatio con-  
 stans pronomine demonstrativo: Ego sum homo: Tu es homo: Item:  
 Nō pudet me anteaucta vita. Verùm huic instatiæ omninò satisfacit  
 reponens: Ut oppositionem & æquipollentiam: Ita conversionem esse  
 affectionem, non cujusvis orationis, sed enunciationis terminò communi  
 in casu recto expresse constantis. Idcirco, ut enunciatio supra  
 adducta capax conversionis fiat, ad terminos rectos est redu-  
 cenda: Vita anteaucta est id cuius me non pudet. E. Aliquid cuius me  
 non pudet est anteaucta vita. 2. An formalis sit conversio simplex,  
 tum universalis negantis, tum particularis affirmantis Priori obstat,  
 quod ex conversa vera eliciatur falsa convertens. E. g. Nul-  
 lus senex erit puer. E. N. puer erit senex. N. homo nunc ridet.  
 E. N. quod nunc ridet est homo. Posteriori adversatur quod ex  
 conversâ particulari verâ sequitur convertens falsa. E. g. Ali-  
 quis homo est mortuus. E. aliquid mortuum est homo. Sed respon-  
 demus 1. ad exempla prioris generis, diversimodè de conver-  
 sione earum esse pronuntiandum: Videlicet, Prima ut idonea  
 reddatur ad sustinendam conversionem, integrum prædicatum  
 distinctè exprimendum & reassumendum est: N. senex erit  
 puer. E. N. qui erit puer, est senex. Secunda sumitur vel conjun-  
 ctim cum convertente; vel divisim, & quatenus spectatur sine  
 relatione ad convertentem. Si conjunctim sumitur, utraq; vera  
 esse potest; N. homo nunc ridet. E. N. nunc ridens est homo. Aliter  
 & divisim, ut patet. 2. Ad exempla posterioris generis dicendum,*



non esse veram conversionem, quia mutantur terminorum affectiones: In *conversa* enim *homo* ad *preteritum* ampliatur: In *convertente* ad *presens* restringitur.

3. *Posteriora* quod concernit principia, nempe Terminos simplices, in quos ultimam syllogismus resolvitur, inquirendum Analytico 1. in ipsam *veritatem*: An sint termini Logici proprie dicti, hoc est, (a) *significativi*, unde requisiti hujus defectu Suppositio proprie dicta non cadit in subjectum hujus orationis: *homo est bisyllabum*; quia illud jam non accipitur pro re significata, sed pro voce significante: (b) *in casu recto expressi*; ad quem revocandi sunt omnes obliqui, cum alias dijudicari nequeat vel conversionis veritas, ut hic: *Civis est in oppido*: nisi casus obliquus ita reducatur ad rectum: E. *Quidam qui est in oppido est civis*: Vel argumentationis bonitas: e. gr. *Omnis contradictionis altera pars est vera: pars falsa est contradictionis altera pars*. E. Quis hujus Syllogismi fallitatem facile deprehendet, nisi casus obliquos reducat ad rectos hoc modo: *Omnis contradictio est quæ habet alteram partem veram*. Minor autem quæ subsumitur: *pars falsa est omnis contradictio*: est falsa, quia pars falsa non est tota contradictio, sed alterum ejus membrum. Inquirendum 2. in *Terminorum affectiones*, quæ sunt vel *generales* vel *speciales*. *Generalis* est Suppositio seu acceptio termini communis pro re significata. *Speciales* sunt status, ampliatio, restrictio, alienatio, appellatio. Theoriam hujus doctrinæ ex tractatione præceptorum Logicorum præsupponimus, (quæ spectat definitionem, divisionem & indicia, unde dignosci possit quælibet Suppositionis species:) & Usus modò in præsentem urgemus, quatenus Analyticus præexigit *Suppositionis* cognitionem ad dijudicandam veritatem (a) *oppositionis*. Etenim ut illa legitima censeatur, non sufficit, ut termini utriusque propositionis intelligantur secundum eandem partem, respectu ejusdem, eodem tempore, & loco, ut ex *Alberto* docent *Conimbr.* sed insuper requiritur, ut termini & articulatione & significatione iidem, eandem obtineant *suppositionem, restrictionem, ampliationem*. Sic nulla est oppositio inter has enunciationes: *Homo est species: Homo non est species*: Quia subjectum  
in



in priori supponitur simpliciter; in posteriori personaliter. (b) Conversionis, quia ut conversio fiat & dicatur legitima, similiter non sufficit sola terminorum identitas, sed insuper adsit necessum est identitas suppositionis, ampliationis, restrictionis. Hinc nulla est conversio: Nullum generandum est homo. E. Nullus homo est generandus: Quia falsa est tam conversa, quam convertens, si vox hominis ampliatur ad futurum hoc sensu: Nullum generandum est id, quod deinceps erit homo. Sic vitiosa est conversio: Domus est combusta. E. aliquod combustum est domus, quia vox domus in conversa ampliatur ad præteritum & significat id quod fuit domus: In convertente eadem vox ad præsens restringitur. (c) Argumentationis: Toties enim termini suppositio simplex cum personali confunditur, quoties in Topicis prædicata realia cum notionalibus vitiosè miscentur. Et hujus quidem doctrinæ beneficio satisfieri potest his & similibus argumentationibus: Substantia est genus generalissimum. Hic homo est substantia. E. Confunditur enim suppositio termini; substantia, qui accipitur in Maj: simpliciter pro significato immediato; In Min: personaliter pro significato mediato. Hæc observatio est in omni Analyfi necessaria, id quod lapsus virorum alias insigniū nobis ostendit. Julius Scaliger, & mente & gente illustris, Exerc. 765. n. 6. quæstionem movet: An rectè dicantur denominativa de Deo? Placet ipsi negativa, contra communem, & non tantum in Philosophia, sed etiam Theologia frequentatam sententiam: Quoniam ei (Deo) multa tribuuntur, inquit, ut omnipotens, omniscius, misericors, justus, vindex, sanctus, fortis, immortalis, bonus, primum Ens: haud rectè extorsit usus, ut sic loqueremur. Si enim denominativè quippiam de eo predicaretur, abstractum esset tum aliud ab ipso, tum ipso prius, quod sanè impium. Unde concludit, non nisi abstracta de Deo prædicari posse, quod sit bonitas, sapientia &c: Verum, quod subtilitatum Magister subtilis Analytici partes non expleverit, evidenter doceri potest: ut enim taceam, hoc iudicium cedere in præiudicium Spiritus S. de Deo in concreto loquentis, quod sit אלהים אלהים &c: confundit Scal: denominativa, in quibus involvitur realis & actualis compositio denominantis cum re denominata, quale est album, mobile, quantum, cum



92  
114  
465

is, quæ realem & actualem compositionem excludunt. Talia denominativa reperiuntur in *Metaph.*: ut sunt *Unum, Verum* &c. Quando igitur de Deo denominativa prædicantur, intelliguntur non ea quæ prioris sunt generis, hæc enim cum simplicitate Essentiæ divinæ consistere nequeunt; sed illa quæ sunt posterioris generis. Atqui hæc de Deo prædicari posse probatur ex ipso *Scaligero*, qui sæpius denominativo *Deus, Exerc. 365. 8. 2.* Item *Exerc. 307. 2.* non autem titulo Deitatis utitur. Sic *Exerc. 6. 2.* vocat *Ens à se unum, non Entitatem.* &c.

## SECTIO SECUNDA

### De Analyfi Materiæ.

#### POSITIO I.

*Analysis Materiæ est, quæ argumentatio vel necessaria vel probabilis ad suas præmissas vel terminos necessarios & probabiles, ex quibus conclusio inferitur, legitime revocatur.*

#### Expositio.

Dicimus significanter sub disjunctione *necessaria vel probabilis*, ne quis sibi forte *Analysin materiæ* ad solam demonstrationem restringendam esse persuadeat, quemadmodum sentire videntur illi, quibus *Analysis consequentis* & *Analysis materiæ* sunt Synonyma. Contrarium ostendimus supra sect. 1. pos. 2. n. 1. quia, quam latè patet *Genesis*, tam latè patet ei opposita *Analysis*. Atqui *Genesis* datur non tantum in *Demonstratione*, sed etiam in *Topica argumentatione*. E. *Major* fundatur in indole oppositorum. *Min.* patet, quoniam *argumentatio topica* agnoscit sua principia, non tantum *constituentia*, eaq; cum *remota*, qualia sunt termini topici, præsertim *argumentum* subjecto aut prædicato vel *intrinsicum*, sub ratione definitionis, generis, differentię; vel *extrinsicum*, sub ratione similitudinis, dissimilitudinis, comparium: tum *proxima*, qualia sunt præmissæ probabiles: Sed etiam *dirigentia*, quibus respondent *Maximæ Topicæ*, quæ nihil aliud sunt, quam dictum de *Omni* & *Nulla* ad certum definitionis, generis, &c. locum accommodatum, & magno passim numero cum suis limitationibus prostant.

POSI-

AC

VDT7

X 3033333





B.I.G.

Farbkarte #13

II f  
465

ANALYSIS  
MATERIÆ

LOGISTICA,  
divinâ gratiâ  
Wittebergensi,  
Præside,  
Pereximio Viro,  
STOPHORO SELDIO,

Adjuncto dignissimo,  
civitatis loco proposita

â  
DIEDERICO,  
Halle-Cherusco,  
legis consuetis,  
m 15. Febr.

WITTEBERGÆ  
HÖHNERI, Acad. Typogr.  
M DC XLIII.

APOTHECA  
CICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)